

haeresi ex Bosna. Apud Orthodoxos (schismaticos) vero proprie hoc tempore in finali statu erat processus ostinatae defectionis ab Ecclesia Romana.¹⁰² Finis principalis erectionis Vicariae Bosnae erat incumbere conversioni haereticorum et schismaticorum atque conversis omnia ad officium pastoreale providere.

Nunc perpendendo prolatas clausulas facilius earum sensus et variatio intelligitur. Jam initio erectionis Vicariae Bosnae cum suis metis et terminis seu circuitibus, ubi »infideles et schismatici habitant fratrum est commissa regimini«, ut conversos in fide nutrirent et per ecclesiastica sacramenta conservarent, idque ad beneplacitum S. Sedis, nam interdixit sacerdotibus missis ab episcopis vicinis ipsos possessione exturbare: »quo circa dicti fratres in amministracione sacramentorum impediri nullatenus debent a praefatis sacerdotibus venientibus vel missis«.¹⁰³ Quoad alias vero regiones, quae, quia sub rege hungarico erant, catholicae considerabantur, S. Sedes divesimode secundum circumstantias providebat. Propterea ortae sunt illae clausulae restrictivae, quae varios sensus habere possunt, immo etiam solam abstractivam significationem absque positiva coartatione respectivae concessionis.¹⁰⁴ Sic illa clausula occasione erectionis domorum in regionibus sub catholico domnio, S. Sedes voluit sartam tectamque conservare disciplinam vigentem. — Porro illis clausulis alii tituli acquisitionis beneficii ecclesiastici nullatenus prohibiti vel infirmati erant. Ac demum certe ultima tempore et explicativa omnium earum restrictio num est illa Eugenii IV de a. 1446, quae Franciscanos voluit esse firmos in possessione parochiarum et munera pastora lis, »donec et quousque Sedes Apostolica aliud super hoc

¹⁰² Rogošić R., Prvi srpski arhiepiskop Sava i Petrova Stolica, in Nova Revija, VIII (1929) 368—369.

¹⁰³ Theiner, Mon. Slav. Mer. II, 328 n. 328.

¹⁰⁴ Sägmüller H. B., Die Entstehung und Bedeutung der formel 'Salva Sedis Apostolicae auctoritate' in den päpstlichen Privilegien um die Mitte des 12 Jahrhunderts, eine Studie zur Geschichte der Entwicklung des päpstlichen Gesetzgebungsrechtes, Acta Congressus juridici internacionalis .. Romae 12—17 Nov. 1934, t. III, Romae 1936, 162, 170 sq.